

gnantia, nam ipsum *secundum quid*, destruit rationem completi. Aut enim particula illa aliquid tollit, vel dimittit de vero complemento substantiæ, vel nihil. Si non minuit, erit substantia completa simpliciter, et non tantum secundum quid. Si vero minuit, erit substantia simpliciter incompleta; quia ratio incompleti immediate constituitur ex carentia cujusvis requisiti ad complementum. Unde ille modus loquendi solum videtur inventus ad reddendam aliquam rationem, ob quam hæc genera ponantur in recta linea prædicamentali, cum tamen differentiæ non ponantur; huc enim spectare videtur illa differentia, quod genus prædicetur in quid, differentia vero in quale; quod discrimen ad explicandam rationem entis completi vel incompleti nihil referre videtur.

20. Quapropter dicendum est, species et genera substantiarum simpliciter esse substantias completas. Hoc videtur supponere Aristoteles, in cap. de Substantia, ubi prius distinguit substantiam in primam et secundam; postea vero, text. 5, differentias excludit a ratione substantiæ; quod non alia ratione facere potuit, nisi quia sunt substantiæ incompletæ; supponit ergo primas et secundas substantias esse substantias completas. Deinde hoc confirmat illa ratio, quia genera et species ponuntur in recta linea prædicamenti substantiæ, non vero differentiæ; ergo signum est illas esse substantias completas. Tertio, quia si discursus superius factus esset efficax, probaret omnem conceptum substantiæ abstractum ab individuis esse conceptum substantiæ incompletæ; ergo esset implicatio in adjecto, dividere substantiam in incompletam et completam, quia divisum necessario esse deberet substantia incompleta, cum abstrahat ab individuis; repugnabit ergo illi alterum ex membris dividendis, vel oportebit dicere solam nominis significationem dividi. Imo in ipso etiam conceptu substantiæ completæ involvetur repugnantia, quia ille etiam conceptus communis est. Sed hæc ratio fortasse dissolvi posset, ut in simili videbimus, sectione sequenti, ubi efficacia ejus magis declarabitur. Quarto, substantia, quæ est genus generalissimum, est substantia completa; ergo multo magis omnia inferiora. Antecedens probatur, quia nisi ita sit, non potest esse genus, quia non poterit habere differentias extra sui rationem, quia differentiæ, per quas contrahitur, etiam sunt substantiæ incompletæ.

21. Quinto declaratur res ipsa, nam omnis substantia, quæ ponitur in recta linea prædicamentali, concipitur per modum substantiæ totalis et integræ, et includit vel distincte vel confuse quidquid ad complementum substantiæ necessarium est; ergo est substantia completa. Dices: confuse continere est continere tantum in potentia; ad rationem autem substantiæ completæ non satis est continere in potentia complementum substantiæ, sed in actu, alias materia prima esset substantia completa. Respondetur, includere in confuso non esse includere in potentia physica et reali ac vere passiva, qualis est materia prima; sed dicitur esse in potentia logice, aut secundum rationem, quæ potentia non excludit quin res concepta actu sit completa substantia, et actu includat quidquid ad tale complementum necessarium est, quamvis illud totum non concipiatur distincte tali conceptu, sed confuse, per modum tamen totius, atque adeo per modum substantiæ completæ. Quia substantia completa nihil aliud est quam substantia totalis et integræ. Antecedens patet ex modo ipso concipiendi et prædicandi, nam homo nihil aliud est quam ipsa individua, ut inter se similia, confuse concepta per modum unius; et ideo saltem confuse includit totam substantiam individuum; et idem est de superioribus prædicatis proportionaliter. Et ideo possunt superiora de inferioribus prædicari, quia dicunt totum quod in illis est. Unde, cum alias dicant illud ipsum totum per modum subsistentis, seu existentis ut id quod est, dicunt etiam illud per modum substantiæ completæ, et totalis.

22. Ex quo facile est intelligere discrimen inter hæc genera substantialia, et differentias substantiales, nam differentia concipitur per modum formæ, et ideo non prædicatur in quid, sed in quale, et potius per modum adjacentis quam per modum substantiæ; et ideo, licet in re sit substantia completa, quia non est aliud ab ipsamet specie, tamen metaphysice, et secundum modum concipiendi nostrum, merito excluditur a ratione completæ substantiæ. At vero genus concipitur per modum totius subsistentis, et ideo per modum substantiæ propriissime prædicatur, et confuse saltem dicit totam substantiam rei, et ideo non excluditur a ratione substantiæ completæ, nec physice, quia in re non est aliud ab integra substantia rei, nec metaphysice, quia sufficienter concipitur per modum totius. Atque hoc modo explicata hæc

sententia non differt ab opinione Fonseca; quanquam enim ratio entis completi non consistat in eo quod prædicetur in quid, tamen ex modo prædicationis recte colligitur, illud, quod sic prædicatur, concipi per modum totius et completi entis. Dicuntur autem hæc genera vel species completa secundum quid, non quia sint incompleta simpliciter, sed quia in eorum conceptibus confuse tantum, et non distincte et expresse includitur totum substantiæ complementum, et ita illa particula, *secundum quid*, non dimittit, nec tollit rationem entis completi, sed solum indicat non esse perfectissimum, quod esse potest. Quapropter non est ita sumenda, ut negetur, secundas substantias simpliciter et sine addito esse substantias completas.

23. Ad argumenta in contrarium facile ex dictis responderi potest. Ad primum negatur assumptum, scilicet, idem esse substantiam metaphysice completam, ac substantiam compositam ex genere et differentia; nam etiam potest esse substantia simpliciter concepta, dummodo concipiatur per modum totius integræ substantiæ. Ad secundum, jam assignatum est discrimen inter conceptum differentie et generis substantialis. Ad tertium, concedo, nullam substantiam particularem esse substantiam completam ex vi solius generis præcise sumpti, sive illud sit genus supremum, sive intermedium aut proximum; imo neque ex vi solius speciei, quia nullum prædicatum commune potest constituere substantiam completam absque inferioribus contrahentibus usque ad individuationem; imo neque existere potest ratio communis nisi contracta, et individua effecta. Nego tamen inde sequi, hæc prædicata non esse substantias metaphysice completas, quia non est necesse ut hujusmodi substantia actu in conceptu suo includat quidquid in re ipsa ad complementum substantiæ necessarium est, sed satis est quod confuse et in potentia illud includat per modum totius subsistentis. Quapropter, sicut dialectici dicunt genus conceptum per modum partis præcise non prædicari de specie, sed per modum totius, ita nos possumus concedere hæc genera præcise concepta per modum partium, non esse substantias completas; prout vero concipiuntur per modum totius, esse substantias completas; hoc autem modo, communiter et absolute loquendo, concipiuntur et constituuntur in linea prædicamentali. Atque hoc solum convincunt reliqui discursus, qui prædictæ

rationi adjunguntur; omnes enim procedunt de genere præcise considerato, ut est pars metaphysica, non vero ut aliquo modo saltem confuse, dicit totam rei substantiam, et per modum totius.

Qualis sit divisio substantiæ in completam et incompletam.

24. Ex dictis in declaratione hujus divisionis, facile est intelligere qualis sit ipsa divisio; aliter enim est de illa loquendum, si membra sumantur secundum metaphysicam considerationem, aliter vero si sumantur secundum physicas realitates. Priori enim modo non potest esse divisio analogi in analogata, sed videtur esse quasi subjecti in accidentia rationis, seu per varias denominationes sumptas ex modo concipiendi nostro. Homo enim, et rationalis, non sunt duæ substantiæ, sed una, quæ sub conceptu hominis dicitur substantia completa, et sub conceptu rationalis dicitur incompleta metaphysice; non potest ergo ibi intercedere analogia in vera et reali ratione substantiæ; intercedit ergo sola diversa relatio rationis, seu diversa denominatio ex modo nostro concipiendi. Quod si interdum substantia completa et incompleta reipsa differant, ut equus et rationale, hoc non est ex formali oppositione membrorum, sed ex materiali diversitate entitatum. Atque hinc fit ut aliqua substantia incompleta hoc modo sit multo perfectior in re quam alia completa, quamvis modus concipiendi sit diversus, et ex suo genere minus perfectus. Fit etiam hinc, ut substantia incompleta metaphysice, physice sit completa, ut rationale, verbi gratia, quia in re non distinguitur a tota rei substantia, sed solum in modo concipiendi.

25. At vero, si membra sumantur secundum physicam rationem completæ et incompletæ substantiæ, sic videri potest divisio analogica, juxta ea, quæ in simili divisione superius dicta sunt de ente completo et incompleto. Et in uno quidem sensu apparet hoc verum, tamen in alio non videtur necessarium; est enim illa divisio virtute multiplex et ambigua. Et ideo non potest simpliciter et sine distinctione responderi. Nam substantia potest intelligi incompleta physice solum ex defectu alienius partis integralis; et hoc modo clarum est non intercedere analogiam inter illam, et substantiam completam. Rursus alio modo et satis usitato dicitur aliqua substantia incompleta solum ex defectu ali-

ejus modi substantialis, ut humanitas, verbi gratia, carens propria subsistentia. Et substantiam sic incompletam, probabilissimum etiam est non esse analogice, sed univoce substantiam, ut humanitatem, verbi gratia, respectu hominis, quia includit totam essentiam, et totam entitatem substantialem hominis, et est simpliciter ens per se, eo sensu quo illud, *per se*, dicit essentialiter rationem substantiæ, quod infra declarabimus; solumque illi deest complementum quoddam modale, quod non videtur satis ad constituendam analogiam. Observandum vero est quod, sicut humanitas non est homo, ita neque dici potest substantia, eo modo quo substantia est genus generalissimum; sic enim sumitur in vi concreti, et prout significat rem subsistentem, saltem in confuso et in communi; et ideo non potest de natura abstracte concepta prædicari; tamen substantia, prout dividitur in completam et incompletam, latius sumitur. Et hoc modo dicimus probabile esse, dici univoce de humanitate et de homine.

26. Denique substantia aliqua potest dici incompleta essentialiter, et in hoc sensu videtur divisio analogica, et ex suo genere tenet infimum locum in eo ordine id quod tantum est substantialis modus; vix enim potest substantia appellari; ut dependentia seu fieri substantiale, modus unionis, et subsistentiæ. Deinde comprehenduntur essentielles partes substantiæ, ut materia et forma, quæ magis participare videntur de entitate substantiali, tamen respectu completæ substantiæ videntur analogice substantiæ propter rationem supra tactam de ente completo et incompleto, et de substantia et accidenti. Solum occurrit observandum, hanc analogiam talem esse, ut ex genere suo substantia completa excellentior sit quam incompleta, et quod hæc totum suum esse habeat propter illam, si respective et cum proportione sumantur. Nihilominus tamen accidere posse, ut aliqua substantia incompleta, sit simpliciter nobilior, et excellentior intensive quam aliqua completa; anima enim rationalis simpliciter nobilior est quam terra aut ignis, quanquam hæc sint substantiæ completæ, illa incompleta. Hæc namque substantiæ solum superant animam in materia, quæ imperfectissimum quid est in ordine substantiæ; ipsa vero anima superat talia entia in differentia formali, et in gradu et ordine substantiæ, quoniam spiritalis est et intellectualis, qui excessus multo præstantior est in perfectione intensiva.

27. Quin etiam probabile est, aliquem modum substantialem perfectiorem esse in sua entitate, quam sit qualibet alia substantia completa pure creata, nimirum, unionem hypostaticam, quæ in natura humana solum est modus quidam substantialis, et majorem excellentiam illi affert, quam sit non solum in homine, sed etiam in Angelo, non tantum ratione ipsiusmet suppositi Verbi divini, quod humanitati conjungit, sed etiam ex parte illius modi creati et supernaturalis, quem ponit in ipsa humanitate. Qui tamen modus non est substantia completa, sed medium aut vinculum quo consurgit substantia quædam completa, quæ est Christus Deus homo. Juxta quam sententiam consequenter dicendum est, quod, licet ille modus dicatur analogice substantia, quantum ad propriam rationem formalem per illam vocem significatam, nihilominus quoad rem ipsam est quid perfectius et nobilius quam propriissima substantia creata.

28. Neque hoc est inconueniens, quia satis est quod sit minus perfectum quam illa substantia completa, quæ mediante tali modo constituitur, quæ non est pure creata, sed ex re creata et increata mirabiliter composita. Et propter hanc causam non potest hinc argumentum sumi, ut idem dicatur de gratia vel alio accidente creato et supernaturali ad naturalem substantiam creatam comparato, quia medio accidente non consurgit aliquod ens per se unum, neque aliqua substantia, et semper manet in ordine entis secundum quid. Sed quanquam hæc probabiliter sint dicta, non tamen sunt certa, nam omnis unio, hoc ipso quod tantum est quidam modus rei quæ unitur, videtur esse in se diminutæ entitatis, et quasi respectivæ; et ideo, licet unio hypostatica, ratione termini ad quem terminatur, habeat infinitam quamdam excellentiam et dignitatem, tamen in sese considerata in genere physico, non videtur tam perfecta entitas, sicut est substantia completa, præsertim intellectualis. Sed hæc ad Theologicam considerationem magis spectant.

SECTIO II.

Utrum recte dividatur substantia in primam et secundam.

1. Hanc divisionem supponit Aristoteles in Prædicamentis, cap. de Substantia, tradens rationem et differentiam utriusque membri, et communem ipsius divisi descriptionem.

quam his verbis significavit: *Commune est omni substantiæ in subjecto non esse.* Oportet igitur in præsentem partitionem hanc diligenter declarare, ut, per singula membra discurrerentes, totam substantiæ rationem exacte explicemus.

Quod sit divisum hujus divisionis.

2. Dubitari ergo imprimis potest, utrum divisum in hac divisione sit sola vox æquivoca, vel analogica, vel aliquis conceptus objectivus communis substantiæ primæ et secundæ. Et ratio difficultatis est, quia substantia prima nihil aliud est quam substantia singularis; substantia vero secunda, est substantia universalis, seu abstrahens ab individuatione; sed substantiæ communi et individui nullus realis conceptus objectivus potest esse communis, præter ipsummet conceptum substantiæ communis; ergo in hac divisione nullus conceptus objectivus et realis dividi potest. Consequentia est evidens, quia divisum non potest cum altero membro dividente coincidere. Major vero satis aperte colligitur ex Aristotele, citato loco, et constabit amplius ex dicendis. Minor autem declaratur facile inductione et ratione: nam Petrus et homo nihil habet commune præter conceptum hominis, neque homo et animal præter conceptum animalis; et in universum omne inferius et superius ita comparantur; et eodem modo subordinantur inter se substantia prima et secunda. Ratio vero est, quia conceptus inferior includit in se totum conceptum superiorem, additque illi determinationem seu differentiam suam; ergo nullam habere potest cum illo convenientiam, præterquam in ipsomet conceptu communi, quæ potius est identitas quam convenientia; convenientia enim in præsentem dicit similitudinem; Petrus autem et homo non sunt similes, sed unum. Et confirmatur, nam alias esset quidam processus in infinitum in his conceptibus, nam si homo et animal convenirent in tertio aliquo conceptu, etiam ab illo conceptu, et conceptu animalis posset tertius distinctus abstrahi, nam comparantur etiam sicut superius et inferius, et idem argumentum fieri potest de quarto illo conceptu respectu tertii, et sic in infinitum.

3. Secundo, hinc dubitari potest an hæc divisio sit rei vel relationis, nam quod sit rei, videtur posse sumi ex ipsa communi ratione substantiæ, quæ est vel non esse in subjecto, id est, per se esse, vel substare accidentibus,

quæ est realis ratio; et ex ratione etiam primæ substantiæ, quæ est primo per se ac immediate substare accidentibus. In contrarium vero est, quia prima substantia et secunda in re non differunt; non ergo potest divisio esse realis. Item secunda substantia non est membrum dividens ut substantia, sed ut secunda substantia; ut sic autem nihil rei addit præter substantiam ipsam; non ergo esse potest divisio rei, sed rationis tantum.

4. Tertio dubitari potest cui horum membrorum ratio substantiæ primario conveniat, nam Aristoteles significat primario convenire primæ substantiæ, illam enim *proprie imprimis, et maxime substantiam* esse dicit, quia illa est, quæ primo subsistit et substatur, et quidquid aliquo modo subsistit, vel substatur, in prima et per primam substantiam id participat. Propter quod (ait Aristoteles), *primis substantiis ablatis, impossibile est aliquid remanere.* In contrarium vero est, quia secunda substantia essentialiter est substantia; ratio autem essentialis prius convenit speciei aut generi quam individuo; sicut enim ideo Petrus est animal, quia homo est animal, et non e converso, ita etiam est substantia, quia homo est substantia; ratio ergo substantiæ per prius convenit secundis substantiis, et nulli potest immediatius convenire, quam ipsi supremo generi. Imo etiamsi loquamur de substantia sub ratione substandi, videtur primo convenire secundæ substantiæ; nam licet quoad communia accidentia prima substantia videatur primo substare, quia hæc accidentia non conveniunt speciei nisi ratione alicujus individui, tamen quoad accidentia propria videtur e contrario fieri, nam risibile, verbi gratia, prius convenit homini quam Petro; ideo enim Petrus est risibilis, quia homo est risibilis, non e converso; cum ergo accidentia propria sint omnium prima, et circa illa substandi munus primum exerceatur, fieri videtur, omnibus pensatis, ut hæc etiam ratio substandi primo conveniat secundæ substantiæ. Aliunde vero apparet, utramque substantiam esse æque primo substantiam, et non cum aliquo ordine, non solum quia in re idem sunt, sed etiam quia univoce participant rationem substantiæ, nam utraque substantia, tam prima quam secunda, directe collocatur in prædicamento substantiæ, quod esse non posset, nisi utraque esset univoce substantia.

5. Circa primam dubitationem, nemo, ut existimo, opinabitur, hanc esse solius vocis

mere æquivocam partitionem, nam ex dictis, et ex ipsomet Aristotele constat, in ea non solum nomen, sed etiam rationem substantiæ aliquo modo esse communem utrique membro. Quare, quod Ammonius in Prædicamentis ait, illam non esse divisionem, sed ordinem solum enumeratorum, ut si quis enumerando dicat in oratione esse litteras, syllabas, et dictiones, vel in exercitu esse duces, et milites, etc., ita (inquit) Aristoteles non divisit, sed enumeravit solum, in prædicamento substantiæ reperiri primas et secundas substantias; hoc (inquam) non probatur, quia vel rem non declarat, vel perinde est ac si diceretur partitionem esse solius nominis æquivoci. Probatur, quia negari non potest quin nomen substantiæ commune sit primæ et secundæ. Constat etiam Aristotelem, sub ea voce voluisse utramque substantiam comprehendere; ergo, si illa tantum est enumeratio rerum sub eodem nomine contentarum absque alia divisione, erit partitio nominis æquivoci, quia hujusmodi partitio nihil aliud requirit; id autem falsum est, ut dixi, quod et ipse Ammonius confitetur propter rationem supra factam, scilicet, quod Aristoteles rationem nominis proposuit, quæ utrique membro communis est.

6. Hoc ergo supposito, dixerunt aliqui, primam et secundam substantiam esse nomina secundæ intentionis, et de formali significare quoddam accidens rationis, nempe rationem subjecti, et prædicati substantialis, ut sentit Soto, in Logica, cap. de Substantia, vel intentionem universalis, et singularis substantiæ, ut volunt Cajetan, et Lovanienses, qui consequenter aiunt, dividi ibi accidens in accidentia, quod intelligendum est respectu substantiæ, cui per rationem accedit esse universalem vel singularem, aut in recta linea prædicamentali collocari. Formaliter autem comparando divisum ad membra dividentia ut sic, potius erit divisio generis in species, qualis est divisio universalis, verbi gratia, in quinque universalis. Nam si accidens dividatur in accidentia per se sub illo contenta, ut coloratum in album et nigrum, divisio erit per se, et essentialis, non accidentalis, aut per accidentia respectu divisi. Soto vero indicat divisionem esse subjecti in accidentia rationis, quia nulla intentio communis esse potest ad intentionem subjecti et prædicati. Sed, quamvis demus divisionem posse habere illum sensum, tamen quod aliter sit impossibilis, non est verum, nec recte

probatur illa ratione; nam, si ratio subjecti et prædicati proprie sumantur in ordine ad propositionem, habent intentionem communem extremi propositionis, quod in vocibus terminum appellamus, vel nomen; si vero subjectum et prædicatum latius sumantur pro subjicibili et prædicabili, quæ proportionaliter se habent ad universale et singulare, sic possunt habere intentionem communem correlativorum, quæ fundatur in tali abstractione vel comparatione intellectus, quamvis fortasse non habeat terminum communem incomplexum quo significetur; et in præsentem appellari potest *aptum poni in recta linea prædicamenti substantiæ*, quod de formali significat intentionem rationis. Atque hoc modo facile expeditur difficultas tacta in primo dubio, quia quod prædicata inferiora et superiora inter se subordinata conveniant in aliquo ente rationis, nulla est difficultas. At vero si dicatur esse divisio subjecti realis in accidentia rationis, vel dicendum erit divisum non esse unum, nisi aggregatione quadam, nimirum, res quæ ponuntur in linea recta prædicamenti substantiæ; vel certe declarandum adhuc superest, sub qua ratione reali et objectiva, illud divisum unum sit.

7. Præterea hæc interpretatio prædictæ divisionis per secundas intentiones est probabilis, et accommodata dialecticis; tamen ad rem metaphysicam quam nunc tractamus, non est sufficiens. Neque etiam videtur omnino accommodata menti Aristotelis, nam ille non declaravit rationem substantiæ, quam in prima et secunda reperiri supposuit, per aliquam relationem rationis, nec similiter per denominationem aliquam sumptam ex conceptibus nostris, sed per proprietatem realem subsistendi in se, quam per illam negationem declaravit, non esse (scilicet) *in subjecto*. Neque enim dici potest quod illam etiam negationem sumpserit in ordine ad secundas intentiones, ita ut *non esse in subjecto*, idem sit, quod *non prædicari de subjecto*, nam in hoc sensu falso diceretur commune esse omni substantiæ in subjecto non esse; secundis enim substantiis hoc non conveniret, cum prædicentur de primis vel de inferioribus substantiis. Unde Aristoteles expresse distinguit, *esse in subjecto*, et *dici de subjecto*, ut hoc sit prædicari, illud inesse. Et de secundis substantiis ait non esse in subjecto, licet dicantur de subjecto. Sumit ergo illam negationem ad describendam talem proprietatem substantiæ, quæ est per se esse. Deinde sub-

stare accidentibus proprietates est realis, et non secundæ intentionis, ut ex ipsis terminis per se notum videtur, ex textu Aristotelis; ideo enim dixit, *corruptis primis substantiis, impossibile esse aliquid remanere*, quia in eis realiter existunt secundæ substantiæ, et insunt accidentia; substare ergo accidentibus sumitur in ordine ad existentiam realem, et ut proprietates realis. Item, quia substare relatum ad secundas intentiones, seu ad opera mentis, nihil aliud esse videtur quam in propositione subjici; hoc autem modo non tantum substantiæ, sed etiam accidentia quædam substantiæ aliis accidentibus; et secundæ substantiæ non semper substantiæ hoc modo propter primas, præsertim in propositionibus, quæ non dicunt actualem existentiam, ut inferius declarabimus. Item ostensum est, esse in subjecto, sumi ab Aristotele realiter et secundum reale esse; hujus autem correlativum est, substare accidentibus quæ insunt; est ergo hæc proprietates realis; secundum hanc autem dividuntur prima et secunda substantia, quatenus magis vel minus, seu diverso modo illam proprietatem participant; ergo non per secundas intentiones, sed per ordinem ad reales proprietates substantiæ prima et secunda distinguuntur.

8. Adde, quod in ordine ad secundas intentiones, vix potest intelligi quomodo prima substantia dicatur magis substantia quam secunda, ut Aristoteles loquitur; nam si prima substantia dicit intentionem subjecti, et secunda intentionem prædicati, ut ait Soto, in quo fit comparatio? Nam hæc debet fieri in aliqua proprietate communi; rationes autem prædicati et subjecti sunt diversæ, et ipse Soto ait nullam habere intentionem communem, et quamvis habeant, illam æque participant, nam tam extremum propositionis est prædicatum, sicut subjectum. Idemque argumentum fieri potest, si dicantur illæ intentiones esse universalis et singularis, aut prædicabilis et subjicibilis, dividique sub intentione communi ponibilis in linea recta prædicamenti substantiæ; nam hæc etiam intentio æque primo convenit secundis substantiis ac primis. Unde quoad hoc verisimilius diceretur, dividi intentionem subjecti, et hanc magis et prius convenire primæ substantiæ quam secundæ. Sed hoc etiam non est credibile, quia esse subjecti prædicationis solum dicit intentionem rationis; at vero illa non est sufficiens ad explicandam rationem substantiæ, nam communis est accidentibus, quæ

ratio de omnibus intentionibus supra numeratis fieri potest. Et præterea illa intentio subjecti non semper convenit secundis substantiis per primas, præsertim in propositionibus per se, quæ abstrahunt ab actuali existentia. Igitur præter intentiones rationis aliquid addere oportet ad explicandam prædictam divisionem, et distinctionem ac comparationem membrorum dividendum inter se.

9. Aliter ergo dici potest, in hac divisione dividi substantiam ut habentem hanc proprietatem realem per se subsistendi; dividi autem per diversos modos, quibus hæc proprietates primis et secundis substantiis convenit. Quam opinionem etiam attigit Cajetanus in prædicamento substantiæ, tamen in sensu longe diverso ab eo quem nos intendimus. Dicit enim primam substantiam constitui per positivum modum particulariter subsistendi. Secundam vero substantiam non constitui per positivum modum, sed per carentiam modi particulariter subsistendi. Unde non assignat divisum commune secundum aliquam proprietatem realem, sed solum secundum proprietatem rationis, scilicet, ut est res quæ directe ponitur in linea recta prædicamenti substantiæ. Quæ expositio mihi non adeo probatur, quia juxta eam declarari non potest in qua ratione reali conveniant prima et secunda substantia, secundum quam utraque substantia appellatur, et magis prima quam secunda, et propter alias rationes quas statim indicabo.

10. Aliter ergo dicitur, substantiam dividi sub ratione per se subsistentis, et substantis aliis; ab utraque enim proprietate diximus supra, posse substantiam appellari. Utraque ergo proprietates convenire debet tam secundæ substantiæ, quam primæ, ut utraque substantia sit. Differunt vero in modo participandi illas proprietates, non quia una participet illas, et alia non participet; nam hoc repugnaret divisioni; esset enim excludere unum membrum a participatione divisi; sed quia una, id est, prima substantia, primo ac per se habet illas proprietates, quod ex eo provenit, quod substantia singularis ac individua est, nam sicut singularia sunt, quæ per se primo existunt, ita etiam per se primo subsistunt, et sustentant accidentia; altera vero, id est, secunda substantia, solum per primam illas proprietates participat. Quod enim illas participet, patet, tum quia est substantia, tum etiam quia sub se continet primam substantiam, et in ea intime et es-

sentialem existit. Unde necesse est ut quod primæ substantiæ convenit in re, conveniat etiam secundæ, saltem mediante prima. Quod vero non aliter conveniant illæ proprietates secundæ substantiæ, nisi per primam, patet, quia non existit nisi in prima neque enim subsistit per se separata. Unde recte D. Thom., q. 9 de Potentia, art. 1, ad 5, ait, subsistere attribui generibus et speciebus, non quia subsistunt (scilicet, extra individua), sed quia individua in eorum naturis subsistunt. Sic ergo facile exponitur dicta divisio, quæ responsione ad dubia et argumenta in principio posita magis declarabitur.

11. Ad primam ergo dubitationem duobus modis responderi potest: primo, divisum esse conceptum aliquem objectivum et realem communem primæ et secundæ substantiæ, non quidem secundum aliquem gradum essentialis specificum, aut genericum; hoc enim modo nihil potest esse commune prædicatis per se subordinatis, ut recte probat discursus ibi factus; sed est hic conceptus communis secundum participationem seu denominationem sumptam a quadam proprietate singularis substantiæ, quæ aliquo modo redundat in substantiam universalem. Hujusmodi proprietas est subsistere, vel substare, quæ formaliter non dicunt essentialis substantiæ, ut de ratione substandi superius indicatum est, et de subsistentia actuali inferius dicitur; sed dicunt proprietates quasdam seu condiciones substantiæ, quæ per se primo conveniunt singulari substantiæ, et suo modo illam efficiunt; consequenter vero etiam efficiunt genera et species substantiarum, quatenus in singularibus sunt. Atque hoc modo non repugnat aliquid esse commune substantiæ singulari et universali. Præsertim quia hæc communitas, licet quoad distinctionem membrorum sit rationis, tamen quoad ipsam convenientiam, si attente consideretur, non tam est rationis quam realis, id est, non est per solam similitudinem, a qua abstrahatur conceptus communis secundum rationem, sed est per realem participationem ejusdem subsistentiæ. Homo enim et Petrus ratione quidem distinguuntur, tamen eo modo dicitur homo subsistere in Petro, quia eadem realis subsistentia Petri est etiam realis subsistentia naturæ humanæ; et similiter eadem capacitate seu virtute, qua Petrus substatur albedini, substatur etiam homo. Sicut existere potest dici commune prædicatis singularibus et universalibus, non

communitate rationis et abstractionis, sed rei, quia eadem numero existentia, qua singulare, existit et universale. Juxta hunc ergo modum non est difficile intelligere divisum commune primæ et secundæ substantiæ.

12. Dices: istemet conceptus substantiæ, hoc ipso quod communis est, est quid abstractum a singularibus, et consequenter est secunda substantia; repugnabit ergo illi dividi in primam et secundam, Respondetur: etiamsi communis sit, non est substantia secunda, quia non est communis tanquam gradus essentialis specificus vel genericus, neque est abstractus secundum rationem ex aliqua convenientia essentiali inter completas substantias, quod est de ratione secundæ substantiæ, sed est communis per denominationem ab eadem proprietate, quod videtur pertinere ad quemdam modum analogiæ, ut in secundo et tertio dubio declarabo. Adde, etiam ipsum conceptum primæ substantiæ communem esse ad omnes primas substantias, quia licet prima substantia realiter singularis sit et individua, tamen formaliter ipsa ratio primæ substantiæ potest abstrahi ut communis, quanquam illa ratio communis non sit secunda substantia, propter dictam causam. Simili ergo modo potest aliqua ratio substantiæ esse communis primæ et secundæ, neque hoc contradicit rationi primæ substantiæ, quia ejus ratio formalis communicabilis est, licet res sit incommunicabilis. Eo vel maxime quod singularitas primæ substantiæ non excludit communicationem cum secunda substantia in eadem entitate et essentia, et consequenter in eadem proprietate, quæ communicatio sufficit ad constituendum divisum hujus divisionis, ut declaratum est.

13. Atque hic modus dicendi est facilis et verus; posset tamen etiam dici divisum esse substantiam conceptam sub ratione essentiali substantiæ, quæ, sicut potest concipi aut singularis effecta, aut abstracta a singularitate, ita potest etiam dividi in primam et secundam substantiam. Sicut communiter dicitur, naturam humanam secundum se nec singularem esse, nec universalem; unde dividi potest secundum illum duplicem statum vel modum essendi, quorum alter est rationis, alter realis. Dices primo: ergo substantia, quæ hic dividitur, erit ipsum genus generalissimum substantiæ, quod est impossibile, quia genus gene-

ralissimum tantum est secunda substantia, non prima. Sequela patet, quia substantia, quæ est generalissimum, nihil aliud dicit quam essentialis substantiæ, seu quod habet essentialis substantiæ, sicut humana natura, secundum se concepta, nihil aliud est quam ipsamet species humana. Item homo, licet possit secundum se seu singulariter concipi, non tamen potest dividi in primum et secundum; ergo nec substantia poterit sic dividi, si sumatur pro ipsa natura substantiali in concreto. Adde quod, si dividendus esset homo in primum et secundum, potius homo universalis diceretur primus homo quam singularis, sicut idea Platonis si esset, esset primus homo quam individua. Respondetur ad primum negando simpliciter sequelam, nam, licet substantia, quæ in primam et secundam dividitur, non dicat explicite nisi id quod habet essentialis seu naturam substantialem, quam rationem includit etiam in suo actuali conceptu genus generalissimum substantiæ, tamen diverso modo, nam substantia ut est generalissimum, non solum præscindit ab statu singulari et individuo, sed dicit quamdam veritatem universalem, ratione cujus substantia ut est generalissimum, non potest intelligi singularis; substantia vero, ut dividitur in primam et secundam, dicit præcise unitatem formalem substantiæ, indifferentem ad singularitatem et universalitatem. Sicut humanitas, quæ secundum se dicitur indifferens, et non universalis, nec particularis, non dicit aliam essentialis ab specie humana, dicit tamen alium modum concipiendi. Item substantia, ut est genus, dicit conceptum præcisum ab omnibus differentiis substantiæ; substantia vero, ut est divisum, non dicit conceptum ita præcisum, sed potius ut resultat ex quacumque differentia substantiali, quatenus omnibus commune est, constituet substantiam completam. Quo sensu essentialis substantiæ est quasi transcendens a suo primo genere usque ad individua substantiæ. Quomodo dixit D. Thom., in 4, dist. 23, q. 1, articulo primo, ad 4: *Omne, quod est in genere substantiæ, potest dici usia, sive sit substantia universalis, sive particularis.* Ad alteram partem respondetur negando similitudinem, nam homo, et Petrus non habent aliquam specialem proprietatem, sub qua percipiunt illam relationem, vel denominationem primi et secundi, nisi in ratione substandi, vel substandi, in ordine ad quam dicuntur prima vel secunda substantia, quia

illa proprietas non pertinet per se primo ad hominem ut sic, sed ut substantia est. Et ideo dixi superius, rationem primæ et secundæ substantiæ non satis explicari per relationem singularis et universalis, nisi adjungatur diversa habitudo ad hanc proprietatem substandi vel substandi.

Qualia sint membra dividenda.

14. Ad secundam dubitationem dicendum est primo, hanc divisionem quoad membrorum distinctionem esse rationis tantum, et non rei. Quod satis convincit argumentum ibi factum, quia membra in re non sunt distincta, nec realiter, nec ex natura rei, ut satis constat ex his quæ a nobis dicta sunt de distinctione naturæ universalis ab individuis. Deinde addo, non solum distinctionem ipsam esse rationis, sed etiam membra dividenda aliquam includere relationem, seu intentionem rationis. Sæpe enim contingit, distinctionem esse rationis, et membra esse omnino realia, ut de misericordia, justitia, et aliis Dei attributis constat. Interdum vero accidit, membra, quæ ratione distinguuntur, quamvis materialiter seu realiter a parte rei existant, tamen ut ratione distinguuntur, includere aliquam relationem vel denominationem quam non habent, nisi per rationem. Ad hunc ergo modum dicimus sese habere primam et secundam substantiam in hac divisione. Quod declaro primo ex ipsis vocibus, nam prima substantia, ut prima, dicit relationem ad secundam, et e converso secunda ad primam; hæc autem relatio non potest esse realis, sed rationis tantum; est enim relatio ordinis cujusdam; inter illa autem, quæ in re non distinguuntur, sed tantum ratione, non potest esse ordo realis, sed solum rationis. Secundo, ex re ipsa, et ex definitionibus primæ et secundæ substantiæ; dicitur enim prima substantia, quæ per se primo subsistit vel substatur, secunda vero substantia dicitur, quæ secundo vel per primam subsistit vel substatur; quamvis autem subsistere vel substare realiter convenientiam primæ vel secundæ substantiæ, tamen quod uni primario, alteri secundo convenientiam, seu quod uni per se, alteri per aliam, hoc non est in re, sed in ordine ad conceptus nostros. Quia in re non est unum et aliud, sed unum tantum, neque est mediate et immediate subsistere vel substare, quia ubi in re non est distinctio, non potest esse medium; ergo ratio primæ aut secundæ sub-